

EBERHARDVS I. EPISCOP. BAMBERGENSIS.



E Berhardus eruditione & pietate omnes aliquos suo tempore longè superauit. Cum itaque S. Heinricus ex suis bonis finitimorum episcoporum consensu Babenbergensem Episcopatū fundasset, hunc Eberhardum omnium aliorum consilio primum eius loci antistitem elegit, anno circa 1012. Itaq; Eberhardus ibidē egregiam disciplinam instituit, atq; suo exemplo omnes eius loci sacerdotes ad uirtutes adhortatus est, ita ut omnes reliquæ Ecclesiæ horum pietatem & in rebus diuinis diligentiam commendarent, & admirarentur. Vnde S. Heinricus Imperator eam ecclesiam plurimis bonis ditauit, ab aliorum episcoporum ditione separauit, atq; multis priuilegijs exornauit. Voluit etiam ut ipse cum Kunigunda uxore sua, adhuc virginе, eo in templo sepeliretur, id quod etiam post mortem eius factum est. Cur si hoc modo Eberhardus suam ecclesiam magna laude diu administrasset, tandem mortuus ibidem honorifice sepultus fuit. Anon. in Mog. Arch. Aribone.